

21.

VIRO PERILLVSTRI
PERQVAM MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO
D O M I N O
IVSTINO FRIDERICO
WILHELMO IKEN

ICTO EMINENTISSIMO
REIPVBLICAE PATRIAE PER ANNOS XXV. CVM DIMID.
SENATORI MERITISSIMO
NOVAE VRBIS INSPECTORI

R E L I Q V A

I A M A D

C O N S V L A T V M

E T

AMPLISSIMVM SCHOLARCHAE MVNVS

BONIS OMNIBVS ADPLAUDENTIBVS

EVECTO

SVPREMVM HOC DIGNITATIS FASTIGIVM

D. XXIX. NOVEMBRIS 1797

SOLEMNI RITV OCCVPATVM

QVO PAR EST DEVOTISSIMAE PIETATIS ET OBSERVANTIAE

CVLTV GRATVLABATVR

ILLVSTRIS SCHOLA BREMENSIS

INTERPRETE

CHRISTIANO NICOLAO ROLLER

V. D. M.

PHILOSOPHIAE IN EADEM ILLVSTRI SCHOLA PROFESSORE

ROTERODAM. LITTERAR. SOCIET. CVIVS INSIGNE EST

PRODESSE CANENDO

COLLEGA HONORARIO.

B R E M A E .

TYPIS DIDERICI MEIER, ILLVSTRIS GYMNASII TYPOGRAPHI.



Occumbit, moriturque nimis cito **CONSUL** honorus,
PVNDSACK, qui Patriae nobile fidus erat.

Scilicet occulti miranda potentia fati

Sic tulit, et nulla mobilis ordo prece;

Sic tulit, vt, senium dignus contingere canum,

CONSUL maturae mortis adiret iter.

Proh dolor! **ILLE** fuit; nec adhuc vitalia carpit

Lumina: iam Stygias **ILLE** petiuit aquas!

Hinc stupor et lacrymae: sacra **CVRIA**, **CIVIS** et **HOSPES**

Congemit, et querulos fundit ab ore sonos.

Tantum est, officiis sibi deuinxisse minores;

Tantum est, principibus posse placere viris!

Atria nunc adiit superi tranquilla Tonantis;

EIVS et incolumis spiritus astra tenet.

ILLIVS ast erimus meritorum tempore nullo

Immemores, donec vita superstes erit.

Nominis atque **EIVS** praeconia digna manebunt,

BREMA memor, factis tempus in omne tuis

Flectitur ad TE fermo meus nunc, nobilis IKEN!

Qui vacuum tanto CONSVLE scandis ebur:

CVI iam magnificum decus hoc confertur, vt effes

Inter HONORATOS pars aliquanta VIROS,

Qui nostri efficiunt PRIMARIA MEMBRA SENATVS:

Queis animo obstricto commoda mille precor.

Macte nouis titulis, applausu macte Bonorum,

Et digno Patriae macte fauore Tuae!

Salue, Decus Patriae, BREMAE Spes maxima, salue!

Salue PATRVM PATRIAE Gloria magna CHORI!

Officiis clarum, comem sermone, benignum

In Ciues, castum mente, animoque pium,

Inclyta TE virtus, iuris doctrina, fidesque

Hoc decus eximium scandere fecit ouans.

Vix TIBI ridentis fortunae commoda miror;

Lux sequitur laudes, corpus vt umbra, Tuas.

Pindus ouat, Musae plaudunt, ducuntque choreas,

Atque lyra Phoebus concinit ipse sua.

TV modo propitio, VIR MAXIME, respice vultu

Carmina, quae TIBI nunc nostra Thalia canit:

Nec sonitus teretes offendat stridulus aures;

Sitque minus cultae gratia parua lyrae.

Publica res bene gesta TIBI est: hinc auguror, IPSE

Promoueas nostrae commoda rite SCHOLAE.

Respice GYMNASIVM, digno TE CONSVLE, sospes,

Et, quod agis, docti sit TIBI cura gregis!

Tum PATRIAE florebit honos, tum grata LYCEO

Prouenient nostro tempora, dante DEO.

Aspera barbaries, emerfaque monstra barathro

Aufugient, nostris non nocitura plagis.

Candor et integritas nostris regnabit in oris;

Ornabit flauas mitis oliua comas.

Et SCHOLA Pieridum sub cura et Pallade, longum

Florebit; Musis aurea secla fluent.

Nunc phialam oprati claudio, nunc vela reduco:
TV, DEVS, ex voto cedere cuncta iube!
Fac vigeant CONSVL, MAGNATES, gensque, laresque,
Artes, templa, Helicon, Mercuriusque diu!
Irriget ex alto Tua gratia suaue LYCEVM,
Quo sedes Charitum fit Sophiaeque domus!
TVque, VIR insignis virtutum laude, SCHOLARCHAE
Nomine quem dici, muneris ordo iubet:
Viue diu, VIR MAGNE, TIBI, PATRIAEQUE, TVISQUE,
Cum SOBOLE et chara CONIVGE, viue diu!
Iam TIBI, iam DOMVI feliciter omnia vertat,
Qui sapienter agit, qui regit astra DEVS!
Sic pro flore Tuo, pro CONIVGIS atque TVORVM
Ipse pias tendo lactus ad astra manus.
TE DEVS omnipotens conferuet Nestoris annos!
Quod fiet, si quid feruida vota valent.
Denique TE vitae faturum, TE pondere honorum
Lassatum, accipiant splendida tecta poli!

